



**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXVI. Quomodo Laici Magistro agriculturæ simpliciter obediebant in agendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

si in externis cum ipsis sese miscuisset. Cum quis subditorum ad ædificanda ædificia eundem incitârat , hoc , quod mente sæpius pertrahabat , maternâ linguâ respondens ajebat : *Laßt uns Zimmeren Hütten oben in das ewige Leben.* Et ut eò magis internus cum suis subditis fieri posset , ædificiorum erectionem , quæ tumultus & interioris hominis dispersionem solita est procurare , velut serpentem venenosum consueverat evitare , enim verò cum sanctis Patribus in casulis degere concupierat hic in terris , ut domum non manu factam , sed æternam in cælis habere meretur ; propter hoc etiam , prout frequenter in internis suis habitans , mente sursùm in cælis fuerat conversatus .

C A P U T XXVI.

Quomodo Laici Magistro agricultura simpliciter obediabant in agendis.

ET ut eò magis ac magis proficeret in virtutibus , Laicos suos in eorum Refectorio ad mensam confidentes interdum visitare consueverat , elsq[ue] dicebat : O vos dilecti Fratres mei , ex quo mihi Conventum meum respicere incumbit , propter hoc externasque causas Monasterij ideo in propria mea persona semper vobis adesse non possum , ut vos dirigam in agendis , sic placet & habere volo , ut Procuratorem meum , & Joannem Saxonem Magistrum agriculturæ in faciendis audiatis , elsq[ue] in his quæ jusserrint , simpliciter tanquam mihi obtemperare non cessetis ; nolite quæsò respicere personam meam , sed illum , cuius vices indignus gero . Prædictus etiam Prior circa Confessionem Laicorum antedicta verba singulis repetens ad simplicem obedientiam eosdem incitavit , scilicet ut non solum ei in præsentia , sed in absentia sua Procuratori & Joanni Saxoni in agendis simpliciter obedirent .

C A P U T